



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 54. Davidis Georgii hæretici fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI. quagesimo sexto die duodecima Decem-
A C. 1556. bris e vivis excessit. Is Reuchlino, Me-
 lanchtoni, ac præcipue Luthero arctæ
 amicitiae vinculo junctus in propaganda
 falsa hujus hæresiarchæ doctrina egre-
 giam navabat operam. Scripsit quo-
 que excellens linguæ Hebraicæ Voca-
 bularium, probe tamen discernendus
 venit ab aliis ejusdem nominis Prote-
 stantium Theologis, qui pariter quæ-
 dam ingenii sui monumenta posteris re-
 liquere, atque inter ceteros Joannes
 Forsterus itidem Wittembergæ Profes-
 sor, & postea Islebiensis Præco quos-
 dam tractatus Theologicos typis edi-
 dit: demum vero Anno Christi mille-
 simo sexcentesimo decimo tertio vivere
 desiit. Alius etiam occurrit Joannes
 Forsterus, qui Patavinus Jurisconsul-
 tus tractatum vulgaverat sub titulo:
Processus judiciarius Cameralis.

§. LIV.

Davidis Georgii hæretici fata.

Spond. hoc Ad eundem annum Davidis Georgii
ann. n. 9. nequissimi hæretici, ac periculosissi-
Flor. Ræm. mi fraudum Architecti obitus refertur.
hist. de Ortu Hic Gandavi natus Histrionis, qui iti-
hæres. l. 2. dem vitra depingendi artem profiteba-
s. 15. n. 4. tur, filius erat, atque Anno Domini
 millesimo quingentesimo vigesimo quinto
 sua jamjam deliria propalare cœperat,
 seque

feque verum Messiam, tertium Davi- Sæcul. XVI.
 dem, & Dei Nepotem non quidem secun- A.C. 1556.
 dum carnem, sed secundum spiritum
 esse mentiebatur: cum autem, juxta
 ipsius doctrinam cœlum esset vacuum,
 ipse ad filios, qui regno æterno digni
 sunt, adoptandos, necnon ad restau-
 randam Domum Israel non per mortem
 (ut olim Christus) sed per gratiam se-
 missum jactitabat. Præterea cum Sa-
 duceis mortuorum resurrectionem, &
 extremum judicii diem inficiabatur:
 cum Adamitis vero Matrimonium reji-
 ciebat, ac promiscuum uxorum usum
 admittebat: insuper Manetis Sectatores
 imitatus tradebat, *Animam omnis pec-*
cati esse expertem, solam vero carnem in
vicio esse, & culpa: hinc animas Infide-
 lium esse salvandas, corpora autem
 tam Apostolorum, quam Gentilium
 damnanda somniabat, nec minus asse-
 rebat, quod insaniam sapiat, credere,
 quod aliquando Christum negare coram
 hominibus peccatum sit: hinc stultitiæ
 insimulabat Apostolos, & Martyres eam
 ob causam mortem perpeffos, cum
 juxta ipsius opinionem in corde, & co-
 ram Deo credere sufficeret. Insuper
 tradebat, quod universa Moysis, Pro-
 phetarum, Christi Domini, & Aposto-
 lorum doctrina non fuerit perfecta, nec
 ad salutem proficua, atque in eum tan-
 tum-

Sæcul. XVI
A. C. 1556.

tummodo usum tradita, ut homines quasi pueros ad hoc usque sui adventus tempus coerceret: suam vero doctrinam perfectissimam esse dictitabat, ita ut hæc sola hominem beare posset.

Porro cum ejusmodi Fanatici ubique meritas luerent pœnas: David quoque circa annum Domini millesimum quingentesimum vigesimum octavum in Frisiam aufugere compellebatur: at Delphii comprehensus condemnabatur, ut virgis cæsus perforata ejus lingua per sex annos exularet, quo tempore expleto ipse reversus suis erroribus Matrem quoque suam inficiebat, quæ Anabaptistarum sectæ adeo pertinaciter inhærebat, ut ad veritatis semitam nullo pacto reduci posset; quapropter Delphiensis Magistratus jussu capite plexa est, idemque supplicium David Georgius subiisset, nisi aliena veste occultatus vitæ suæ fuga consulisset. Sub idem tempus librum typis imprimi curabat, quo vix divulgato ceteri Anabaptistæ illius blasphemias tantopere detestabantur, ut earum Auctorem a suo consortio segregarent: Itaque David ab eis sejunctus specialem sibi factionem conscivit, sibi que Sectatores, qui Georgiani nominabantur, associavit, atque Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quadagesimo quarto ut pœnas,

nas, quibus Carolus in hujus fursu-
 ris homines animadverti jusserat, ef-
 fugeret, relicta Frisia Basileam venit,
 ubi Joannis Bruckii, seu de Brues no-
 men ementitus nonnisi suorum delirio-
 rum fautoribus cognitus aliquamdiu de-
 litescebat, nihilominus, licet occultus
 permanere gestiret, gravibus tamen tu-
 multibus Hollandiam, Frisiam, alias-
 que Regiones involvebat, sparsis ubi-
 que libris suis, literis, atque Discipulis,
 quos ad suæ sectæ adhærentes longe,
 lateque emittebat: cum autem morti
 proximus esset, suisque Sectatoribus
 fidem facere vellet, quod miræ virtu-
 tis Vir, ac quadam divinitatis præro-
 gativa clarus esset, eisdem promisit,
 se post triduum, vel ut alii Scriptores
 referunt, post triennium resurrecturum,
 suisque Sectatoribus amplissima largiturum
 munera: Idipsum etiam quodammodo
 evenit, quippe tertio post Anno scili-
 cet millesimo quingentesimo quinqu-
 gesimo nono Mense Majo Basileensis Se-
 natus hujus hæretici impietates edo-
 ctus judicii acta in eum instrui jussit,
 necnon perinde, ac si adhuc vita super-
 stes foret, sententiam pronuntiavit, vi-
 cius ejus ossa de sepulchro extracta una-
 cum ipsius libris, ac scriptis per carni-
 ficem combusta fuere.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1556.

Lindan. in
 dub. l. 2.
 Schard, op.
 hist. tom. 3.